I. A.

LINEAMENTA SARMATICA,

SVB

PRAESIDIO

CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII,

publice asserenda

a

IOANN. CHRISTOPH. ALBERTI,

Hab. in Audit. Publ. A. 1670.

d. 1. Octobr. hor. antem.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio XXI.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

cIↄ Iↄc XCIIX.



SCRIPTORES.

I.

POst Pomponium Melam, Plinium, Tacitum, Ptolemaeum, Iornandem, gentis huius, sub notione Polonorum, sive Bolanorum, meminerunt inprimis Ditmarus Merseburgensis, Henrici II. aeqvalis, VVippo, Conradi Saliqvi Sacellanus, Otto Frisingensis, Gottfridus Viterbiensis, Helmoldus.

2. Primo, qvod a C. N. elapsum est, seculo Sarmatae, et Venedi, ac diu ante Heneti, sexto Slavi Slaviniqve, amplissimo diffusarum a Borysthene ad Vistulam gentium nomine passim celebrantur. Inde, veluti adolescente medio aevo, Polonos appellatos esse constat.

3. Recentiores, qvi a sec. XV. et XVI. numerantur, sunt Aeneas Sylvius, Ioannes Duglossus, Matthias Michovius, Alexander Gvagvinus, Martinus Cromerus, qvos uno volumine recensuit Ioannes Pistorius Nidanus. Praeter hos ad origines eruendas adiumentum afferent Io. Matthias a Sudetis, et Iodocus Ludovicus Decius.

4. Martini Cromeri epitomen adornarunt Salomon Neugebauer, et Ioachimus Pastorius, alter Hermanno Conringio, alter M. Zvv. Boxhornio est impense laudatus.

5. Ab excessu Sigismundi Augusti, non inscite commentatus XII. libris Reinholdus Heidensteinius est, cuius et extant de bello Moscovitico libri VI. in volumine historiae Cromerianae, A. 1589. Coloniae Agrippinae editi, qvi in recensione Pistoriana desiderantur.

6. De Henrico Valesio librum unum composuit Andreas Maximilianus Fredro, Capellanus Leopoliensis, qvi A. 1660. Gedani excusus est.

7. Rebellionem Russicam complexus est Paulus Piasecius, scriptor domi prudens ac fidus, in exteris incautus negligensqve. Cum qvo coniungere licet succinctum commentarium A. 1653. Regiomonti evulgatum. Ex utrisqve sua derivarunt Adolphus Brachelius, et novissimus scriptor belli Cosacici Germanice redditi.

8. Iuri ac legibus Polonicis operam impenderunt Herburtus, Theodorus Zevvack, cuius processus, ut dicitur, iudiciarius Varsaviae lucem vidit A. 1647. Adiungatur Andreas Lipski a Lipe, cuius practicae, qvae vocantur, observationes A. 1648. ed. causidicis inserviunt: sed eiusdem decas qvaestionum publicarum in parte publici iuris non plane nullum momentum habet. Conf. Iacobus Prilusius, aliiqve. Ad fori Lithuaniae, qvae Poloniae innexa est, controversias nominatur Petrus Roisius: reliqva, qvae ad huius descriptionem pertinent, abunde suppetunt in Moscovia Sigismundi ab Herberstein.

9. Scriptum, cui titulus est, publicae innocentiae manifestum, in causa Lubomirskiana, et plerisqve regni actis perqvirendis idoneum, et hodie in ipsa Polonia perrarum est, primo in Polonorum vernacula, deinde Latina Lingva compositum.

10. Qvantum ad civiles regni rationes, fere admirandum se praebuit Vlicovius, summo B. B. iudicio insignis, et accuratione solertiaqve nulli postferendus. Schedae de morient. Pol. servanda, ac similes, saepe qvidem utiles, at nimis interdum vulgares sunt, ut facile inter has excellat, qvod novissime prodiit, sub nomine Censurae Candidatorum Poloniae.

I.N.I.

I. N. I.

I.

PRincipio Polonia Duces habuit. A Ducibus inde Reges elegit. Regum circunſcripta poteſtas. Optimatium libertas magna, licentia maxima eſt.

II. Regnum hodie, ſi ullum, legibus aſtrictum. Leges, qvibus regni innixum fundamentum eſt, duobus capitibus continentur. Alterum libertas Electionis, alterum Religionis eſt. Vtrumqve codex ſanctionum Polonicarum ſuggerit. Vim, nervum, robur a Comitiis Varſavienſibus (*a*) arceſſo. His ſtabit regnum, ſi obſerventur. Ruet, (ne vero ruat) ſi negligantur.

(a) *A. 1573. Huc ſpectant conſtitutiones publicae, diplomata regia, qvibus haec libertas repetitis vicibus firmatur. Memorandi hic Reges, Henricus, Stephanus, Sigism. III. Vladislaus IV. et qvi nuper regno ſe abdicavit, Io. Caſimirus. Sed inprimis memoranda hic fuerat ſanctio Iagellonica.*

III. Primus Regum memoratur Boleslaus Chrobry. Sed vero audacius, qvam verius. Qvod velim aeqvo animo accipiant Crantzius, Ioan. Cluverus, Ioannes Laetus, Georgius Hornius, Fr. Sanſovinus, Arthurus Duck, Antonius Albizius, Chriſtianus Matthiae. Sed neqve hi ſoli. Reſtant plures: Ioannes Sleidanus, ſcriptor alioqvi gravis et probus, Lucas de Linda, Ioachimus Paſtorius, Henricus Bangertus, et qvem hic ſeqvitur, Gvagvinus, Auctor noviſſimus Polonici ſtatus, innumeri demum alii. Vnum id impenſe hic miror, cur Polonici ſcriptores, iiqve non vulgares, tantum ſibi indulgeant, ut patrocinentur errori. Qvum non plane nullum hic ſuppetat argumentum, fuiſſe tem-

pus, qvo Polonia colere Imperatorem, colere Imperium debuerit. * Qvod tamen aegre faciunt Poloni, iam dissimulantes, qvae scribenda erant, iam scribentes, qvae tacere praestitisset. Notatus hic multis naevus est. Ex omnibus seligamus (b) Conringium, testem parum laudandi moris.

* *Chron. Pegaviense ad A. 1135. Otto Frising. Chron. VI. cap. 28. VII. cap. 19. Sanblasianus app. cap. 7.*

(b) *Cap. 18. de F.I.G.*

IV. Qvi edisserunt hoc loco familiarum vicissitudines, non impingunt semel. Scriptor novitius **des Polnisch. Königs Stamms** / XII. recenset interregna. Sed abhorret is loqvendi modus ab accuratione civili. Nec pensi is habet distingvere Ducum tempora a Regum. Vtinam vero praeter hunc lapsum nullus superesset alius. Sed mendum augetur mendo. Inter exempla sunt, qvi in tradendis Poloniae dynastiis operam ponunt suam. Alii sex, alii plures, multi pauciores numerant. Io. Buno (c) Dynastiam inserit Zechidarum. Verum haec ad Boiohemos pertinet, non ad Sarmatas. Nisi tamen Cracidarum dictam cupit, a Craco auctore appellatam. Qvi rem in compendium redigunt, 1. recitant Dynastiam Lechi, unde surrexit familia Lechidarum. 2. (d) Craci. 3. Przemislai. 4. Lesci. Hinc progenies Lescidarum. 5. Piasti, civis Crusvvizensis, filii Gosfiscонis, ut produnt Sarmatici annales. Ab eo prosapia Piasteorum, seu Piastidarum, (e) qvae nondum desiit. Reliqvias Silesia habet. 6. Iagellonis, qvi Iagellonidum conditor. Hoc ad regni clavum subducto, Piastei, qvi Silesiam colebant, Principes, sive odio, sive ultione excitati se suosqve regno Bohemico illigare coeperunt. Sed manifesta haec omnia. Videamus iam, qvid Sarmatiae expediat.

(c) *Sec.*

(c) *Sec. IX. Hist. univ.*

(d) *Vnum hic notandum, omitti δωδεκάρχους, seu Palatinos, vulgo Vaivodas, qvi binis civibus interserendi (1) Post Lechum (2.) Post Cracum. Praeter hoc addo, verum eumqve indubitatum historiae Pol. characterem incipere cum Piasto. Anteriores multa ἄδηλα comitari. Ne μυθικὰ dicam. Proinde hic, si usqvam, iudicio opus est.*

(e) *Vid. de his Aut. Cens. Cand. Polon. Conf. alii, qvi recte memorant, eos primum veritatis divinioris lumen Sarmatiae intulisse.*

V. Regni caput (inde enim auspicari libet) Cracovia est. Civitas vasta magis, qvam valida. (*f*) Perculit huius rei cogitatio multorum animos Regum. Praesertim Sigismundi Augusti, (*g*) ut qvi pensaret, qvanti interesset, Cracoviam muniri. Laudabilis haec solicitudo, sed Ordinibus odiosa. Nempe existimaverant hi, munita Cracovia, nova sibi instare fata, libertatem in discrimine fore, regem ad regiam potestatem grassaturum. Hinc responsum tulit, Polonos virtutem lacertis ostendere. (*h*) Muris, arcibus, castris non delectari. Verum latebat metus affectandae dominationis. Regem praetextu securitatis moliri Monarchiam, una omnium supicio fuit. Prudentiam interpretabantur Poloni. Sunt, qvi admixtum qvid imprudentiae colligant. Disceptet, decidat, qvi velit; velit, qvi potest. Ego dixisse satis habeo, publicae interesse rei, ut privatae suspiciones publicae utilitati remittantur. Hoc magis, qvod alia Polonis in promptu sint servandae libertatis instrumenta. Sed age ostendam, qvid hinc emergere damni, qvantum conflari Christianis periculum possit. Fingam irritari Turcas, colligere exercitum. Vno impetu effundi in Sarmaticos campos. Omnia praeda hostis erunt, priusqvam iusta acie cum hoste decernatur. Qvid si fortuna belli, ut subinde mutabi-

tabilis eſt, refragaretur? Sane conclamatum foret, cum neqve praeſidium victis, neqve aſylum ſubditis ſupereſſet. Qvos tamen habere omnes aeqvum eſt, qvo fugiant ad ſalutem, qvo fortunas, et qvicqvid carum eſt, perferant. (*i*) Atqvi id iam liqvet ſatis. Et niſi liqvet, teſtari Varadinum poteſt, qvantum in arcibus et caſtellis ſitum ſit momenti. Qvippe compertum, amiſſo Varadino, periclitari Vngariam iuxta et Tranſylvaniam coepiſſe: Coſacos Osmannidarum iugo ſe ſubmiſiſſe. Tantae utilitatis eſt, extruere arces et tueri extructas.

(f) *Arx civitati impoſita, ubi veterum Regum conſpicua monumenta.*

(g) *Vid. Ioſ. Maria Maraviglia Hermet. Coeleſt. p. 94.*

(h) *Imitantur Poloni Spartanos. Sed deſiit ſeculum illud Spartanum. Deſierunt Spartanorum mores.*

(i) *Penſant tamen hanc arcium propugnaculorumqve iacturam varii montes, qvibus includitur, diverſa flumina, qvibus interluitur Polonia. Sed naturae hic ſubſidium debetur ab arte.*

VI. Qvanqvam ergo magni aeſtimem Sarmatarum virtutem, nec ignorem inſuper, Tataris Turcisqve admodum formidabilem eſſe hanc gentem, tamen neceſſitas temporum exigit, et ipſorum Polonorum ſalus, ut communiant civitates, excitent arces, omnia deniqve comparent ad publicam ſecuritatem.

VII. Cum de munimentis, deqve munimentorum neceſſitate expono, ſubit recordari Kamienici. Hoc ſuſtinendis Tatarorum incurſionibus ſuffecturum aiunt. Sed ſufficiat Tatarorum. Forte tamen pertinaciae Turcarum non ſufficiet. Qvin forte fama maior vero, qvae ad nos de operibus munitionibusqve Kamienici perlata eſt. Tum vero ſentiunt non pauci, Tataros iamdudum Kamienicum * occupaturos fuiſ-

fuisse, ni impetum cohibuisset prudentia Turcarum. Vt qvorum qvasi beneficiarii Tatari sint, intenti ad eorum nutum, et parati seqvi signa, cum velint. Turcis autem huius consilii non aliud pretium est, qvam formido. Cohorrescunt enim, cum inaudiunt de auxiliis Germanorum, et qvi Septentrionem colunt. Hos vero, iudicant, nolle destituere Polonos, dum unus apud omnes metus est crescentis potentiae Turcarum, qvi vel invitis extorqvere arma potest. Et vero communis Christiani orbis causa haec est, qvae copulare dissidentes debet, ut obex tandem ponatur posteris Osmanni.

* *Simon Starovolscius in Polon. p. 114. refert, oppidum esse et natura loci manuqve permunitum, nec refragor, si et sentiat pro conditione Podoliae, et loqvatur. Subscribit Starovolscio Alexander Gvagvinus in descript. Pol. et non modo arcem muro propugnaculisqve firmatam, sed civitatem etiam, ob rupem accessu arduam, ferme inexpugnabilem esse, scribit. Qvicqvid eius sit, parum laetus nuper allatus nuncius est, venisse in Turcarum Tatarorumqve, qvos antehac strenue repulerat, potestatem: Qvae ut qvamprimum recuperetur, asseraturqve pristino domino, et Germaniae, et universi septentrionis interest.*

VIII. Vt merito iam invehamur in eos, qvi solius qvaestus causa Turcarum se applicant partibus. Indignum sane Christianis, stare adversus Christianos, deserere suos, assistere impiae genti. Et vero Deus, pietas, amor, qvae Christianos copulant cum Christianis, iniqvissimo exemplo adversantur. Relinqvatur impia adeo colluvies sibi. Retineat sordes suas. Christiani iungantur Christianis. Foedera, societas, amicitia, sancta nomina sunt. His dignari Turcas, probrosum orbi Christiano. Impium qvoqve, accedere barbaris, adversari suis. Praetextus commerciorum pulchre qvaeritur, solide non stabilitur. Certe nemo probaverit hunc morem, qvum Christianus Turcae expetat societatem, ut noceat Christiano. (*k*) Speciosa

qvorundam commenta multum oſtentationis, parum pietatis, minimum laudis habent.

(k) *Rationem reddit Petrus Santerna Luſitanus, qvod ſint inimici imperii, et Chriſtiani nominis, qvod Chriſtianos perſeqvantur et ſedibus expellant, tr. de aſſec. Ed. Lugd.*

IX. Revertamur ad inſtitutum. Potentia Polonorum terreſtris, opes in agro, vis belli in eqvitatu ferme omnis eſt. Maritima potentia naturae magis donum, qvam fortunae et artis. Hac carent Poloni, pollent Hiſpanus et Veneti, veteres Osmannici imperii hoſtes. Ceterum divitiae agrorum nec nullae, nec nimiae. Commerciis demum regna effloreſcunt. Sed genius Polonicae gentis vix capit. Haud exiguo, ut creditur, regni damno. Praeter eqvitatum, qvi validiſſimus eſt, *(l)* cura peditatus eſſe *(m)* debet. Vt habeat, qvos opponat Praetorianis. Spahis enim haud dubie eſt reſiſtendo.

(l) *Rex 140000. (alii 200000. recitant) Nobilium educere in aciem poteſt, ſi inſtat periculum, ſi imminet hoſtis. Expeditio haec apud ipſos Poſtpolite Ruſſenie audit. In proxima expeditione ultra 100000. fuiſſe memorant.*

(m) Iam olim Tacitus Sarmatis obiicit ignaviam ad pedeſtres pugnas. Hiſt. I. Ego monere malim, qvam tale qvid obiicere: Sed Sarmatae fortaſſe ipſi dubiam obiicient fidem.

X. Aeſtimavimus ſatis excitatam Polonorum indolem, animum bellicarum rerum capaciſſimum. Luſtrabimus popularium erga populares iam fidem. Pro patria oppetere mortem, ducunt laudi. Pro ſalute regis capere arma, corpus obiicere periculis, omnia deniqve experiri parati. Transfugam fieri, ſummum ibi ſcelus. Comitari regem in qvacunqve fortuna, decus interpretantur. Multas gentes ferro in reges ſaeviiſſe, compertum. Poloni ſervatorum regum gloriam tulerunt. Diſſentire qvidem et obniti, indignariqve inſuper ſaepe, et edere irati animi ſigna, non rarum. Sed manus regum

im-

imbuere sangvine, et insontes deposcere ad necem, generoso hactenus populo piaculum fuit. Magna haec fides, gloria autem fide maior, pietas longe maxima. Paucos excipimus, qvibus sensum obseqvii sive innata ferocia, seu pertinacia excussit. Hos rebus studuisse novis, recessisse a fide erga Reges, exuisse reverentiam, sicut notum, ita universae genti neqvicqvam imputandum.

XI. Perspicaciam gentis colliget, qvi, ut cauti sint, et regum scrutentur destinata ac mores, apud animum expendit. Piastidas ad Casimirum usqve M. nulla religione astrinxerunt, successores vero hoc obligare vinculo, consultum putarunt. Prorsus ut appareret, libertatis retinendae tenacissimos esse. Sic regum coerciti spiritus, sic evitatum servitutis iugum, sic privilegia retenta atqve immunitates vindicatae omnes. (*n*)

(n) *Non multo secus, atqve Teutones, qui Caroli V. antecessores laxius, Carolum V. arctius ex Imperii utilitate legibus astrinxerunt. Vide Sleid. et ex eo Stirn. Nomoth. t. 4. §. 6.*

XII. Monui de Casimiro M. Princeps is animi plenus et rarae exemplum benignitatis. Hic Poloniam lateritiam accepit, non multo post marmoream fecit. Beneficiis Ordines, plebem, magnos, medios, minimos, omnes sibi devinxit. Russiam in provinciae formam redegit. Leges, cultum, decus in Poloniam intulit. (*o*)

(o) *Vid. Aut. Anonym. in Piast. Ioachim. Pastorius in Casimiro Magno. In eo desierunt regnare Piastidae.*

XIII. Auspicata haec regno omina. Auspicatiora ferme in Vladislao Iagellone. Qvi Lithuaniam Poloniae innexuit, ut hodie utraqve eodem civili vinculo contineatur, eodem iure regatur, eodem demum obseqvio eidem Principi pareat.

XIV. Haud secius caput extulit in Casimiro III. qvi Prussiam addidit. (*p*) Prussiae exemplum secuta Livonia est. Hanc Poloniae adiecit (*q*) Sigismundus Augustus, augendis regni finibus

occupatiſſimus Princeps. Ceterum habeo, qvod deſiderem cum prudentibus in Sigismundo III. qvi Cracoviam, inclutam veteri Regum ſede civitatem, Varſavia mutavit. Omine parum proſpero, conſilio minus utili, eventu certe non ſalutari. Adeo verum eſt, mutationes ſedium auſpicia nunciare nec proſpera ſemper mutantibus, nec laeta iis, qvi mutantium imperia colunt.

(p) *Notat hic aſpere Albertum Teutonici Ordinis Magiſtrum Beſold. I. P. Part. 3. c. 4. p. 235. Excuſant moderatiores. Notas viciſſitudines peculiari ſervo argumento. Boruſſia Ducalis ſoluta iam beneficiario vinculo eſt, qvod conſtat ex transactione Velavienſi. Ceſſit enim El. Brand. ut ſupremo Domino, ſoluta fiduciario nexu. Conf. diſſertatio noſtra de rebus Pruſſor. ad §. 28.*

(q) *Livonia in ſanctionibus noviſſimis iam diſpeſcitur in Svedicam et Polonicam. De hac qvid, Moſchi reſpectu, publice cautum nuper ſit, apparet ex ſanct. Pac. Oliv. c. 5. §. 1. De Livoniae alioqvi in Cis et Trans-Dunanam diviſione Geographi plenius agunt.*

XV. In Stephanum Bathorium parum aeqvos deprehendo Sarmatas. Periculum metuerunt libertatis, forte qvod regis potius, qvam regni haberet rationem. Suſpectus enim, inſidiari iuribus, inſidiari libertati. Regis qvoqve, id eſt, ſui potius, qvam regni aeſtimare utilitatem videbatur. Hinc indignantium voces, qverelae mutati in publicum amoris. Deſignare Ordines, proſcribere Zhorovios, denunciare poenam inter Praeſules ſummo, abrogare Proceribus officia, diſponere de Provinciis beneficiariis libere, intolerandum genti. Nec de Vladislao IV. una omnium opinio fuit. Multi enim niti ſolito altius, et plus moliri, qvam par eſſet, et regiam complecti animo vim, coniecerunt. Nimirum prona Martiis regibus via eſt ad dominatum.

XVI. Hactenus de Regibus monitum. Summa eo ſpectat, ut materiam diffidentiae, aemulationis, litium amoliamur. Ca-

Captare arbitrium, omnia moderari pro nutu, libere ferre ſine Comitiis leges, ſtatuere qvid ſua ſponte, decernere ſine conſilio conſenſuqve procerum, Senatus, ac Nunciorum terreſtrium, in Polonia inauditum. Regem habere Ordines malunt, qvam regnatricem domum. Regnum electione deferunt. Nec tamen plane nullam ſucceſſionis habent rationem. (*r*) Praeterire heredes poſſunt, haud tamen praetereunt facile. Niſi cogat neceſſitas, niſi flagitet regni ſervandi cura, niſi cauſae admoneant graviſſimae, et ſine diſpendio ſalutis publicae non negligendae. (*s*) Scriptor qvidam non inſcitus diſerte tradit, Senatorum iudicio conſentaneum eſſe, Rempublicam ſe potius habere, qvam regnum. Ceterum ſcriptoris illius maius in Ordines ſtudium, qvam in Regem. Fatendum alioqvi, Optimates magno ſe efferre ſplendore, et caliginem inducere Monarchiae pleniori. Optandum, ut concordia utrisqve conſtet, et firma tranqvillitas duret, et ipſa maneat aeternitas rerum. Fiet id, ſi reges ament ſuos optimates, hi colant ſuos Reges, utriqve ſtudeant publicae utilitati. Si meminerint Reges, regnum ſe habere aſtrictum, Senatum eſſe liberiorem, ſi Ordines foveant Camillos, ſi expellant Marios, ſi Sullas deteſtentur.

(r) *Qvi Scholis operantur, regna electitio ſucceſſiva appellant.*

(s) *Aut. moment. Polon. ſervand. rat.*

XVII. Novum invitat de Comitiis argumentum. Ius indicendi penes Regem, ſtatuendi poteſtas Regi cum Senatoribus et eqveſtri Ordine communis. Vtri horum praepolleant, haud qvaerere opus. Sciunt, agnoſcunt omnes. Prudentibus ſane hinc indicium, Poloniae regimen potius Reip. convenire, qvam regno. (*t*) Ordines aut ſacri, aut profani. Vtriqve regni Senatores. Poſt eos Delegati Nobilitatis ſedendi ius nacti. (*u*) Sententiae tamen dicendae praecipuum apud hos pondus. Si qvid proponi decernive oporteat, referunt ad Senatum. Leges

vero a Senatu accipiunt nullas. Potius Senatus ad eos, qvam ipsi ad Senatum se accommodant. Tanta Nobilitatis auctoritas est. Senatus exhibet Optimates, Nobilitas Populum, Delegati Nobilitatis Tribunos. Ceterum Comitia Polonorum ut plurimum sunt paludata. Nempe stant sub dio, stantes stipant militares turmae. Haec cum aguntur, coeunt deliberaturi, post deliberationem definiunt, si tamen definiunt semper. Atqvi hic dubitaverim cum Senatorum, tum Nobilitatis ingenuum morem, qvod reges mereri regnum, non mercari velint. Qvi hic dubitat, excutiat annales, indaget acta publica, vestiget experientiam, inveniet, qvae indicamus.

(t) *Casp. Ens de Reg. Polon. Th. Pol. ap. 15. De cetero per occasionem Regni, mentio succurrit Abbatis Casinensis Vincentii Sgvaldi, qvi pulcherrime Reipubl. qvatenus optimatium iure regendae, rationes, exempla, exemplorum nexus ostendit. Addi etiam forte possunt, qvae de rationibus Reipub. cum antiqvae tum hodiernae eleganter ordinavit iudicavitqve Pompeius Caimus in Parallel Polit.*

(u) *Alebus. cap. 33. Lind. descript. Regn. Pol. Popping. in O. I. Huc Dav. Frolicb. in Viator. lib. 3. p. 47. 48.*

XVIII. Nobilitas Poloniae seminarium pariter et praesidium est, Nobilium eadem dignatio, par ius, aeqvalis libertas celebratur. (x) Ab his multi Principum surrexerunt. His necessitudine immisceri, Principibus saepe non indecorum, neqve inglorium est visum.

(x) *Vid. Staravolscius. Aut. Cens. Cand. Pol. Autor Gallicus qvidam, cuius nomen latet sub literis D. T. V. T. de l' Estat du Roy de Pologne. Sansovinus del governo del regno di Polonia.*

XIX. Omnia, qvae sentimus, dicere non expedit. Alia aut servanda domi, aut relinqvenda expertis rerum. Tradamus nihilominus aliqvid de hodierno Rege. Is a (y) Visnioviecia dux, a sangvine Korybuthius, eoqve Iagellonidis vinculo agnatio-

tionis annexus. (z) Vltima origo ex Lithuanis. Praenomen Michaelis: In praenomine augurium diadematis feria Michaelis imponendi fuit. Auſpicia rerum gerendarum proſpera, ingenium perſpicaciſſimum, animus ingens multisqve artibus imbutus, experientia ſingularis explendeſcit. Nihil in eo deſiderant boni, omnes ſperant bene. Hinc ſtudio Nobilitatis provectus, hinc ad regni clavum ſubductus. Attritae qvidem paternae opes ſunt Coſacico bello. Animus tamen ſemper idem viguit, infractus nunqvam. Omen hoc olim accipiebamus altioris fortunae. Exitus non defuit omini.

(y) *Alii VViſnievvicz, alii VViſniovvez, multi VViſchniovvez, nonnulli Viſniovicz ſcribunt. Is Numae potius, qvam Romuli ingenium habet.*

(z) *Demetrius Korybutbus frater Iagellonis. Familia utriusqve Principalis, ultima origo traditur ex Italia a Columnis. Columnas arceſſunt a Germanis. Ex Stricovio obſervant, VVeſniovieciorum et Sbaraſciorum Anteceſſorem appellatum. Huc referunt Diploma Fidelitatis A. 1386. concinnatum. Et Starovolſcius annotat monumenta aliqvot VVioſnieviciorum Ducum.*

XX. Summa huius Regis cura, ut tempeſtatem ex Vkraina impendentem avertat. Et profecto avertet, ſi de conſilio eius res regatur, * ſi reconcilientur rebelles, ſi cum regno redeant in gratiam Coſaci, ſi Ordines deniqve, cum opus fuerit, non deſtituant optimum Regem. Impiae ſeditionis Ruſſorum memoria nondum exolevit. Vitari potuiſſet malum, ſi Ruſſici ritus relicta libertas fuiſſet, ſi, qvod ex promiſſo debitum erat, regni curia dependiſſet, ſi maior erga eos praefectorum regiorum moderatio apparuiſſet, ſi avaritiae Iudaicae nihil in ipſos licuiſſet, ſi deniqve in nulla libertatis parte damnum ad illos redundaſſet. Mittimus alia qverimoniarum capita. Tantummodo hic monemus, vitandum eſſe Ruſſicum iſtum Sullam. Hunc vitare, eſt praeſens periculum vitare et fraudem. Qvid

mi-

mirum? Turbidi ingenii homo eſt, et profundae ſimulationis. Fidei qvoqve anceps et mutabilis in momenta. Tum promittendo paratior, qvam ſervando. Omnia illi ludus. Etiam religio pactorum. Hoc obſervandum regi, obſervandum regno eſt. Ad ultimum, elegans in Vioſnievicio Polonici exemplum moris. Scilicet Reginas a Germanis ſumere malunt, qvam Reges. Suſpecta adeo Germanici nominis magnitudo. A ſexu ſeqviori non perinde metuunt. Hunc regi potius, qvam regere debere aiunt. Iam plures ex Auſtria reginas acciverunt. Noviſſime documento Vieſnievicius eſt. Cuius et regnum fortunet Deus et torum. Illi felicitatem, huic foecunditatem largiatur.

* *Alius hoc A. 1672. eventus, atqve ſuperiori conſilium fuit. facta in Polonia pax eſt, ſed magna Polonorum iactura: Podolia nunc gemit ſub Turcarum iugo.*

XXI. Regibus olim conceſſa abdicandi libertas. Multa hinc in Remp. mala, plurimae calamitates. Iam melius proviſum regno, libertati iſti obex poſitus. Argumento Viosnievicius eſt, regno ſe, donec vivit, ex lege non abdicaturus. Id religioſe promiſit: religioſe implebit.

XXII. Seqvitur, ut tradamus, qvid Polonia reponere in ſe, qvid tribuere exterorum auxiliis debeat. Non negamus, nimiam fiduciam ſui, ſaepe initium miſeriae eſſe. Nolimus diffiteri tamen, Poloniae domi potius vires qvaerendas, qvam foris. Auxilia aut ſaepe ſunt ſera, aut non ſuffectura. At id qvidem facere Polonis in expedito eſt. Gens numeroſa, et idonea inſuper bello, et tanto aliqvando magis reſurrectura, qvanto maior ruina fuit. Probant id ſuperiora bella, probant exempla bellorum. Aſſentiuntur Polonici ſcriptores. Idemqve nuper Batavis ſuggeſſit qvidam in opuſculo, de eo, qvod intereſt Bataviae.

XXIII. Piget hic referre, qvod prodidit Thomas Campanella. Is ſecuritatem Sarmatis certiſſimam pollicetur, ſi Poloniae cum Moſcovia coniungendae rationes ineantur. Sed vanum

con-

consilium, vanius promissum. Diversa Moschorum et Sarmatarum ingenia, adversi mores. Dispar etiam regnandi ius, dispar modus. Imperium Czaris successioni innixum, nec circunscriptae potestatis. Regnum Polonorum conferendum electione, nec administrandum pro nutu. Servile obseqvium Moschorum, liberrimum Polonorum est. Ne meminerim, qvam pertinaciter sua colant sacra Moschi. Sua qvoqve Poloni. Nunqvam adeo conciliandi, nunqvam redigendi in unum corpus. Pontifex, Pontificis ceremoniae illis detestabiles. His contra Graecorum. Hos ergo coniungere pugnantes, componere dissidentes, iam diu desperavit Palatinus Czerniechoviensis. Qvod indicio est, promisisse Campanellam, qvod nulla ratio futurum promittit. Ostentui ergo hic Monachus est. Magis Monachi simplicitas.

XXIV. Ceterum optandum est Polonis, recuperent Smolenskum, qvo nuper exuti sunt a Moscho. Idonea haec regno olim civitas, *(aa)* unde inferre periculum hosti, et propellere licebat. Iam amissa desideratur. Nec vero sola. Praeter hanc provincia trans Borysthenem, cum situs, tum securitatis ratione utilissima Polonis. Repetere arduum, * relinqvere periculosum. Hae diminutiones, belli civilis fructus. Non exiguus hinc metus, nec minus discrimen. Mature adeo providendum genti, ne gentis potentia iusto latius serpat.

(aa) *Laudant hic Poloni Gedani sui vires et fidem. Laudavit Pastorius in Casimiro III. Laudavit proxime Andreas Olszovvski, Pomesaniae Procancellarius, et Regis sui Legatus.*

* *Tum propter belli ex bello rursus metuendi discrimen, tum propter pactiones novissimas Moscho-Polonicas.*

XXV. Refert qvoqve ad institutum, nosse, Poloniae saepe plus nocuisse civilia, qvam externa bella. Tutus Rex, tutum regnum, si discordiae fuerint sopitae, si compressae factiones, si extinctae rebelliones. Militem excire promptum, eundemqve Scythicae gentis terrorem. Atqvi vero iam tempus est, mea

C Po-

Polonia, ut excias tuendo Boryſtheni. Iuſtus tibi, barbaris impius foedusqve bellandi titulus eſt. Hi pro dominatione, tu pro libertate dimicabis. Aude, vindica Vkrainam. Aderit Deus. Aderit fortuna. Coepta bona bonus exitus ſeqvetur. Verbo, vinces, vincendo triumphabis, triumphando gloriam illuſtrabis. Imo vero illuſtres. Vt aut deſinant te vexare, * aut ſubigantur, qvum vexant, aut ſubvertantur, cum ſubacti reſurgunt ad colligendas vires, ad turbandam regni tui qvietem.

* *Inter regni curas praecipua haec eſt hodie, ı reſarcire iacturam Podoliae: 2. videre, qvemadmodum Polonia ex tributaria iterum libera fiat.*

XXVI. Qvantum tranqvillitatis ſervandae pretium ſit, exploratum iam habemus. Alia denuo ſubit ſolicitudo. Haec publicam ſpectat utilitatem. Cuius compendium cura numi. Proinde cavendum monetae: puniendi monetae adulteratores. Providendum qvoqve, ut cudatur moneta a probis, et materiae pretium, pretio materia reſpondeat. Nec vero indulgendum cuivis ius monetae. Ingens hic abuſus, ingens abutentium ſcelus, unde damnum commerciis certiſſimum inferunt. Ab his ad Rempublicam, a Republ. ad univerſam humanam ſocietatem ſerpit. Atqve hoc cum tua coniunctum ſalute eſt, Polonia. (*bb*) Ruunt indulgentia in hoc virium privati, privato qvaeſtui intenti. Proſpiciendum adeo, ne aut privatis eiusmodi concedatur poteſtas, aut ſi concedatur, in eos, qvi adulteraverint, mature animadvertatur. Conſtituendum ad hoc certum in moneta pretium, conſtituendi, qvos appellant, Zygoſtatae. (*cc*) Saepe deliberaſti de his naevis, tolles tandem, et vindicabis privatos privatorum hominum mores. Iudaeos tolerare, omni licitum iure. Hos vero negotiis imponere, his fraenos laxare nimis, et omnium uſurpandorum facere copiam, haud conſultum. Turbarunt nuper monetae rationes in tantum, ut vicinae ditiones ingemiſcant. Haec cauſa, cur multi civium facultatibus lapſi, cur plurimi mercatores exiſtimatio-

nis

nis fecerint iacturam, creditoribusqve decoxerint ſuis. Tuum, mea Polonia, eſt, his obviam ire malis, et qvod praecipuum gloriae caput eſt, cum regno ponere calculum, cum calculo conſervare regnum.

(bb) *Vid. Aut. Cenſ. pro redint. Pol. reg.*

(cc) *Ad hoc vid. D Zieglerus, vir mihi inter magnos magnus, et ut noſtri aevi decus, ita exemplum futuri, in diſp. de Iur. Monet. Saltem adiicimus, auri argentiqve ſignandi ius apud veteres ſanctum fuiſſe ſemper.*

XXVII. De Monetae remediis nil reperio, qvod exponam ultra. Aut ſi reperio, huius ſcripturae excedit modum. Viſum nunc deliberare, qvid ſit, qvo regnum conſervetur. Plurimi coeleſte arcanum allegant, et ineluctabilem ordinem fati. Hoc facere, hoc ſtabilire Sarmatiae libertatem. Reddi adeo hinc rationem poſſe, cur facies, forma regni Polonici ſibi conveniat ſoli. Nulli vero alii. Nil enim ſubeſſe, niſi occultam Numinis vim. Huic ſtandum, huic acqvieſcendum eſſe. Et mirum certe, inveniri Respublicas ſatis confuſas, qvae in ipſa durant confuſione. Inveniri imperia, qvorum forma paene ſine forma, et praeter regulam civilis legis. Manere tamen eadem, et retinere inter contumaciam ac diſſenſiones ſecuritatem antiqvam. Nos agnoſcimus Deum regnorum ſtatorem. Miracula arcemus. Respublicas confuſione nutantes haud probamus. Vnum alterumve exemplum eas non munit. Qvod rarum, raro tutum, raro diuturnum. Facile periturum, qvod aegrum. Sic non ſecus caſurum, qvod praegravi mole inclinatum. Certa, non ancipitia, Reip. conſervandae conſilia habere, non expedit modo, ſed etiam neceſſe eſt. Turbida iſta et fallacia, et nil ſolidi habentia diſplicent merito. Si lubrica via ſit, ſi deficiat, ubi pes figatur, promptus ſane ad exitium gradus. Nos qvid ſentiamus, aut dicemus ex ſuggeſtu, aut monebimus privatim. Qvod enim de colendis placitis maiorum, de peculiari temperamento gentis, de obſervandis ſanctionibus regni, de fide Senatorum Ordinisqve eqveſtris, de rationibus deniqve militari-

C 2 bus

bus hic recitatur, notum omne eſt,et ſolum certe non ſuffectu-rum. Alia eruenda, plura expetenda ſubſidia regni habes, mea Polonia, modo utaris, nec tarda ſis ad occaſiones, nec ad mutationes proclivis. Mutationibus, ſi qvae exiſtant, remedia opponas matura. Interregnorum vices longas procul habeas,et deteſteris. Didiciſti interregnorum fata. Nocuerunt regnis aliis, nocebunt tibi, ſi diuturniora. Advigilaſti nuper ſatis,et cum tot,mirandum,diverſa Senatorum Nobilitatisqve ſtudia eſſent, praecidiſti moram electioni, ſuſtuliſti interregnum, vitaſti diſcordiam, unde promptum alioqvin ſeditionibus,turbis, bello civili alimentum.

XXIIX.Ducimus qvoqve, inſtituto convenire,ut Poloniae attingamus leges. (*ee*) Multis videtur, gentem bello aſſvetam de legibus parum laborare. Illud de populo Martio verum. Hoc nullatenus concedendum. Eo minus, qvod cura belli non tollat leges; contra leges armis, arma legibus innitantur. Exemplo Princeps, cui non togae ſolum, ſed belli etiam artes diſcendae.Et vero demus, cura armorum turbari interdum leges poſſe, everti tamen poſſe, confidenter negamus. Manifeſtum alioqvi, et publicis notum argumentis, habere ſuas Poloniam leges, habere curias, habere tribunalia. Vtrisqve additam dicundi iuris poteſtatem. Vetuſti retro aevi documenta multa. Memorabile ſaltem hic ad poſteros eſt, iuri Tevtonico olim in Polonia fuiſſe locum, fuiſſe honorem. Illud vulgari nomine Magdeburgicum appellatur. Huius introducendi auctor non Caſimirus M. ut tradit Ioach. Paſtorius, a Ioanne Caſimiro, dum regnaret, ad ſcribendam Sarmatarum hiſtoriam conductus,ſedLesko Niger.Cauſam exponit Conringius,multus in hoc argumento, nec indiligens diplomatis, qvod Paſtorium deceperat, Caſimiriani cenſor. Et vix eſt, ut aſſentiar Arthuro Duckio Anglo, qvi Caſimiro accepta refert auſpicia primo inſtituti, deinde abrogati Magdeburgici Iuris.

XXIX.

XXIX. Servet dissertatio formam. Dictum de legibus: insistamus ordini, et referamus de qvibusdam. Leges comitetur consvetudo, qvam invaluisse accepimus post leges. Ordiamur a furto. Furtum pecunia redimitur. Poena si est, certe non est capitalis. Moribus Lithuanicis res furtim ablata ad dominum non redit. Inventori qvoqve non cedit. Solum huius opus, perferre ad iudicem; iudex servat sibi. Via ad recuperandum domino interclusa; remedium vindicandi nullum. (*nn*) Veniamus ad tutelam. Finitur tutelae munus, finito qvinto decimo anno. Secus, qvam apud alias gentes. Alienandi multo serior facultas. Initium qvintus et vigesimus annus. Seqvitur diversitas diversitatem. Liqvet haec in multis. Argumenta habemus in praedio dotali, et iure testandi. Ignotum ibi nomen iusiurandum, qvod calumniae appellant iustitiae sacerdotes. Hactenus discrepat a Qviritium iure. Mallent multi, ut conveniret semper, ut discreparet nunqvam. (*oo*) Praesertim si iusta subest causa, si religio movet divini iuris, si sanctitas iubet innatae legis. Aversatur Deus homicidia, homicidiorum impunitatem maxime. Optamus, ut omnes agnoscant. Magni, an mediocres, an minimi, nil refert. Eodem omnes apud Deum censentur iure. Qvi regulam omnibus et singulis esse voluit, NON OCCIDES. Homini adeo in hominem nulla potestas necis. Deus vitam dedit. Deus adimere solus potest, solus vult. Teneat ergo sua interfectores poena. Sed qvae respondeat delicto, qvae penset delicti atrocitatem, et mensuram impleat divinae legis. Non levis mulcta, sed supplicium poscitur. Luat sangvine, qvi sangvinem profudit. Propterea nemo sibi indulgeat, nemo sua abutatur dignitate. Homicidium vindicandum morte est. (*pp*) Haec sententia summi iudicis. Haec norma regnorum erit, rerumqve publicarum omnium. Vos appello, Sarmatici Nobiles. Sarmatiae munimentum estis. Iustitiae qvoqve sitis. Eritis certe. Vestra exempla utilia regno,

C 3 sa-

ſalutaria ſunt vobis. Manus afferre hominem homini, ne ſinatis. Saevitia eſt, non libertas, occidere qvenqvam ſine cauſa. Etiam nulla libertas, qvae contra leges. Legum vero hic nexus. Conſtitutae cedunt divinis, divinae regunt conſtitutas. Qvicqvid peccatur in utrasqve, peccatur in Deum, in vicarium Dei. Illud impietatis eſt, hoc improbitatis. Vos, qvi animum pro regno habetis, qvi curas pro regni gloria ſuſcipitis, temperate gladiis adverſus plebeios. Nunqvam temperate adverſus hoſtes. Barbaros iſtos dico, et, ut fama eſt, iam iam ex Scythia profecturos. Cavete, ne ſe, ne ſuos ditionibus veſtris infundant.

(nn) *Ceteroqvin de uſu iuris Ro. in foris Poloniae vid. Duck. c. 2. cap. 11.*

(oo) *Accuſat in hoc capite Polonos Spreng. d. l. et diſcrimen eorum notat, qvo aſſerunt homicidium aliud capitale, aliud civile eſſe.*

(pp) *Vellem hic ſanius locutus eſſet Th. Hobbeſius de Civ. cap. 6. p. 109. ubi non parum derogat innato iuri, Deo ipſi, huius auctori.*

XXX. Taedet hic morari. Res poſcit, ut, qvales olim Sarmatae fuerint, diſpiciam. Male apud Tacitum audiunt. Primo ignavia, deinde levior armatura exprobratur: poſtremo imbellium inuritur nota. *(hh)* Dubites fortaſſe, an aſſentiaris ſcriptori auguſtae hiſtoriae. Celeres ſubitiqve gentis impetus, celeres animorum motus facile aliud perſvadent. Minus in Sarmatas iniqvi rerum Scythicarum conditores. Facit nobiſcum Pomponius Laetus, vir in eruenda antiqvitate ſicut diligens, ita acris. Is ex annalibus, qvos excuſſit, optimis tradit, gentem fuiſſe ferociſſimam, et hominum caedibus aſſvetam. *(ii)* Alibi recitat obſtinationem gentis. Praeter hanc pugnandi ardorem. *(kk)* Promendum hic ſuffragium Flori. Qvi tradit, Sarmatis non aeſtimari pacem, imo ne intelligi qvidem. *(ll)* Haec qvam conciliare arduum, tam promptum, ab altero diſſentire. Sed cauſa diſſentientis iuſta, ratio diſſentiendi ſufficiens eſſe debet,

XXXI. Spectamus metam. Sed pauca restant, antequam perveniamus. Expediemus quasi in transcursu quodam. Dignum labore momentum, quod ad excutiendum veteris Sarmatiae statum pertinet. Illatum genti bellum a Romanis.(*mm*) Penetratum usque ad regionis fines. Viscera a bello intacta. Augusto Danubius belli Sarmatici terminus erat. Feliciores Teutonici Imperatores. Conradus cognomento Saliqvus vectigalem fecit. Henricus II. Boleslaum beneficiario iure sibi obligavit. (*nn*) Certa huius rei argumenta servamus historico instituto. De cetero Polonicorum dissensus scriptorum nil obest causae. Nimis afferunt nova, et solidae antiquitatis nihil.

(hh) *Nihil tam ad pedestrem pugnam ignavum esse scribit, qvam Sarmatas. Et non tacite innuit, parum ipsis animi esse, ereptis eqvis, cum tradit, adempta eqvorum pernicitate, velut vinctos caedi. Non multo post levi gladio inermes vocat. Hist. 1.*

(ii) *Ro. Hist. Comp. Ed. A. 1510. in Constant.*

(kk) *In Valentin.*

(ll) *Meminit Tacitus Roxolanorum. Hi VVillichio Basternae, aliis Russi Moscibiqve sunt. De qvibus vid. Carolus Stephanus Dict. Hist. Geogr. et doctissimus Italus Hirol. Canin. ad 1. H. Tac. c. 79*

(mm) *Nil veritatis habent, qvae huc affert Hermannus Hermes cap. 4. de Imp. Ro. illud multo magis mirandum, qvod scripsit, Boleslaum ab Ottone M. creatum Regem. Non minus Galli cuiusdam erratum est, qvi Lecho primum tribuit insigne regium. Nulla causa, nisi accuratae negligentia lectoris. Ignorantiam enim vix tantis tribuerim viris.*

XXXII. Vetera haec sunt. Mittamus. Nec tamen committamus, ut horum memoria exolescat. Nos desinimus, ne progrediamur ultra legem. Desinendum vero in voto est. Votum praecedat, qvicqvid amor publici boni expressit. Struit saepe fortuna vicissitudines. His amovendis comparare praesidium, felicis regni est. (*ee*) Comparetis, Sarmatae. Imminent barbari ex diversis locis. Hos depellere, aeternae pretium laudis. Diffidere ab se invicem domi, et pugnare sen-

ten-

tentiis, hoſti expedit, non vobis. Ante bellum de belli inſtrumentis cogitandum. Opes, aurum, argentum, bellantium robur, bellorum nervus. (*ff*) Illa, cum ſuppetunt, conſervanda, cum deſunt, acqvirenda. Amittere haec, et inania conſectari, eſt ſuppeditare materiam creſcendi aliis, aperire viam ambitioni hoſtis, emere demum periculum brevi et mox ceſſatura voluptate. Vos, Sarmatae, melioris capaces fortunae, meliorem animum ſervate. (*gg*) Vtilitas, gloria ad vos redundabit. Gnara bellandi Nobilitas vobis murus et firmamentum. Legiones validae, dummodo concordes, exitioſae regno, ſi diſcordes. Proſpicite vobis. Impetus Tatarorum metuendus. His praedandi irritamentum Podolia, qva meridiem ſpectat. Communite tandem itinera verſus illam terram. Volhyniam et Boryſthenem potiſſimam curae veſtrae partem credite. Qvanqvam inde iam maior impendeat metus. Vires, opes, cogitationes omnes vertite in bellum externum. Vitate inteſtinum. Pugnate pro fide regis, pro ſalute regni. Obteſtatur vos Chriſtianus orbis, ut hoc tempore audendo paratiſſimi, faciendo feliciſſimi, vincendo admirabiles ſitis. Honos Dei eſt, qvem defenditis, libertas veſtra, qvam propugnatis. Ite ergo ad arma. Numen fortunet armatos, fortunet expeditionem. Feſtinate, qvod agitis. Expectat vos victoria, et invitat.

(ee) *Indicandum hic eſſet, utrum Germaniae finibus metuendum ſit a Sarmatis. Qvod cum negem ex multis cauſis, alibi perſeqvendum ex dignitate argumenti eſt. Interim vid. aut. Not. et ſtrict. p.62.*

(ff) *Tac. Hiſt. II. Pompeius Caimus paral. Polit. partit. p.29.*

(gg) *Multi hic notant Sarmatiae gentem. Alii nec contumeliis abſtinent. Graviter monet Starovolſcius. Hauriant Poloni, qvod ſalutare eſt, a Polonico Scriptore. Ceteroqvin multae hic lites de ſcopo Reip. Polonicae. Diſſidium omnibus notum, qvod inter D. Conringium, et perſonatum Marinium exarſit. Non auſim me interponere iudicem. Cum privatim ſentiendi rationem habeam.*

):o:(


